8.

Q. B. D. V!

De

ARMINIO.

PRAESIDE

CONRADO SAMVELE SCHVRZFLEISCH,

Publice differet

PAVL CONRAD Mitternacht/ Ger. Ost.

Ad diem XXIX. Ian. ANNO MDC LXXVII.

In Auditorio Maiori.

CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Disputatio XXIIX.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.

cIↃ IↃc XCIIX.



FAXIT NVMEN!

I.



ARMINIVS, de qvo dicturus sum, gente Germanus fuit. Is natus in Cheruscis, et dignum Germano animum, et prolusurum instituto militari nomen habuit. Qvod facile perspicuum erit Tiotismi nostri indolem pensitantibus. Cuius vim qvum non asseqverentur Romani, haud, puto, videbitur mirum, eos Arminium, qvem nos Hermannum, appellasse.

II.

Discedimus hic igitur a G. Ruxnero, qvi vetera Germanorum nomina repetit a Troia. Neqve eo melior est Laurentius Hochvvartus, qvi cum splendorem qvaerit a peregrinis, domesticum sane praetermittit decus. Multo rectius de his tradiderunt nuper doctissimi viri P. Albinus, R. Reineccius, H. Meibomius, aliiqve.

III.

Sed redimus ad Cheruscos, qvibus Patriam debet, Noster. Ii, si Raymundo Marliano tribuenda fides est, Leodiensis pars territorii fuerunt. Sed multa sunt, qvae dissidere cogunt a Marliano. Nos cum Davide Chytraeo coniecerimus, eas insedisse sedes, qvas hodie solent, qvi Brunonis colunt vicum, agrumqve. Qvem in Saxonia

ſua videas licet. Fere ſub Hiſtoriae initium. Cui addatur velim P. Cluverius introd. Geogr. lib. 3. cap. 3. Idem diſerte affirmat in Germ. Antiq. Cheruſcorum poſteros Bruneſvicenſes appellandos. Paulo tamen latius interpretatur Cheruſcos Girclamus Caninus, in Tab. Italice ſcripta. Perperam de his Althamerus, anguſtius exiſtimat H. Iunius. Nil decidit Fr. Philippus Ferrarius in Lex. Geograph. Qvod non mirum. Peregrinus in Germania Italus fuit.

IV.

Iam liqvet Saxonas fuiſſe Cheruſcos, eoqve Germanos. De qvo adeo nullus dubitat Germanus, ut nec ipſi Romani ullam dubitandi habuerint occaſionem.

V.

Lubentes hic praeteribimus Saxonum hanc antiqviſſimis retro temporibus fuiſſe rationem, ut alii Oſtphali, ſ. Orientales, alii Angrivarii ſ. Angarii, * nonnulli VVeſtphali ſ. Occidentales dicerentur. Legi eo poſſunt VVitichindus, antiqviſſimus Saxonum ſcriptor, et Conradus Vrſpergenſis. Saltem ab illo diſſentimus in parte Originum noſtrae gentis. Qvam, fallit, dum a reliqviis Macedonici exercitus arceſſit. Qvo nomine eum ſecuti incautius ſunt Gottfridus Viterbienſis, ipſe etiam Vrſpergenſis, et pariter hunc Abbas Stadenſis, Niemius, Gobelinus, Rolevincius, Aubanus, Kempius; et ſcriptor originum Friſiearum Siffridus Petrus. Sed ut diſcedimus ab iis, ita accedimus Crantzio, Chytraeo, Fabricio, Meibomio, auctoribus ut paſſim obviis, ita in Saxonum hiſtoria non vulgariter verſatis.

VI.

* *Hic omnium ſermone celebratus eſt vicus* Engern/ *ſedes qvondam VVedekindi, non procul Herfordia, nota in VVeſtphalis Civitate. V. Neuvvald. de antiq. VVeſtf. col.*

VI.

Verum mittimus haec, tanqvam alieniora instituto. Cum nobis in eo omne stet consilium, ut non nihil de rebus ab Arminio gestis commemoremus.

VII.

Ordiemur a familia. Qvae illustris et cum a vita, tum a fama celebris fuit. Pater Sigimerus, Princeps suae gentis, nec ignotus Velleio, nec inglorius hostibus est visus. Dignum is se filium sustulit, et liberandae Germaniae iam tum indicia praeferentem.

VIII.

Haud dubie sub patre tyrocinia posuit Arminius. Magister virtutis, bellum, belli instrumentum assidua exercitatio erat.

IX.

Patruum insuper Ingviomerum, Socerum Segestem habuit. Sed sine Soceri amore, cum vi se generum fecisset, non vinculo caritatis, ut memorant augusti scriptoris annales.

X.

Habebat adeo Coniugem Arminius, sed invito coniugis parente. Hinc vero gliscere odia, mox in exitium auctorum suorum eruptura. Peccabat in eo Socer, qvi odia utilitati reip. remittere, et gener, qvi petere a Socero uxorem debuerat.

XI.

Nunc de Arminii dignitate paulo licet videamus. Annales in procerum fuisse numero, faciunt fidem. Adeo verum est, qvod adnotavit Beda Anglo-Saxo (ex qvo doctissimos sapere viros, non abs re adnotavit Vbbo Emmius in Hist. rer. Frisic.) Vetustissimam Saxonum Rempublicam proceres habuisse, potentia aeqvales, sorte, ut

ſua videas licet. Fere ſub Hiſtoriae initium. Cui addatur velim P. Cluverius introd. Geogr. lib. 3. cap. 3. Idem diſerte affirmat in Germ. Antiq. Cheruſcorum poſteros Bruneſvicenſes appellandos. Paulo tamen latius interpretatur Cheruſcos Girclamus Caninus, in Tab. Italice ſcripta. Perperam de his Althamerus, anguſtius exiſtimat H. Iunius. Nil decidit Fr. Philippus Ferrarius in Lex. Geograph. Qvod non mirum. Peregrinus in Germania Italus fuit.

IV.

Iam liqvet Saxonas fuiſſe Cheruſcos, eoqve Germanos. De qvo adeo nullus dubitat Germanus, ut nec ipſi Romani ullam dubitandi habuerint occaſionem.

V.

Lubentes hic praeteribimus Saxonum hanc antiqviſſimis retro temporibus fuiſſe rationem, ut alii Oſtphali, ſ. Orientales, alii Angrivarii ſ. Angarii, * nonnulli VVeſtphali ſ. Occidentales dicerentur. Legi eo poſſunt VVitichindus, antiqviſſimus Saxonum ſcriptor, et Conradus Vrſpergenſis. Saltem ab illo diſſentimus in parte Originum noſtrae gentis. Qvam, fallit, dum a reliqviis Macedonici exercitus arceſſit. Qvo nomine eum ſecuti incautius ſunt Gottfridus Viterbienſis, ipſe etiam Vrſpergenſis, et pariter hunc Abbas Stadenſis, Niemius, Gobelinus, Rolevincius, Aubanus, Kempius, et ſcriptor originum Friſicarum Siffridus Petrus. Sed ut diſcedimus ab iis, ita accedimus Crantzio, Chytraeo, Fabricio, Meibomio, auctoribus ut paſſim obviis, ita in Saxonum hiſtoria non vulgariter verſatis.

VI.

* *Hic omnium ſermone celebratus eſt vicus* Engern/ *ſedes qvondam VVedekindi, non procul Herfordia, nota in VVeſtphalis Civitate. V. Neuvvald. de antiq. VVeſtf. col.*

VI.

Verum mittimus haec, tanqvam alieniora instituto. Cum nobis in eo omne stet consilium, ut non nihil de rebus ab Arminio gestis commemoremus.

VII.

Ordiemur a familia. Qvae illustris et cum a vita, tum a fama celebris fuit. Pater Sigimerus, Princeps suae gentis, nec ignotus Velleio, nec inglorius hostibus est visus. Dignum is se filium sustulit, et liberandae Germaniae iam tum indicia praeferentem.

VIII.

Haud dubie sub patre tyrocinia posuit Arminius. Magister virtutis, bellum, belli instrumentum assidua exercitatio erat.

IX.

Patruum insuper Ingviomerum, Socerum Segestem habuit. Sed sine Soceri amore, cum vi se generum fecisset, non vinculo caritatis, ut memorant augusti scriptoris annales.

X.

Habebat adeo Coniugem Arminius, sed invito coniugis parente. Hinc vero gliscere odia, mox in exitium auctorum suorum eruptura. Peccabat in eo Socer, qvi odia utilitati reip. remittere, et gener, qvi petere a Socero uxorem debuerat.

XI.

Nunc de Arminii dignitate paulo licet videamus. Annales in procerum fuisse numero, faciunt fidem. Adeo verum est, qvod adnotavit Beda Anglo-Saxo (ex qvo doctissimos sapere viros, non abs re adnotavit Vbbo Emmius in Hist. rer. Frisic.) Vetustissimam Saxonum Rempublicam proceres habuisse, potentia aeqvales, sorte, ut

hanc fortuna dedisset, solum diversos. Locus Bedae extat L. 5. cap. 11. Hist. Eccles. Ad istud nuper disseruerunt argumentum R. Reineccius, et Heinr. Meibomius in vind. Billing. Seqviori aevo potentes regionis, Bedae et Theodorico Niemio Satrapae, aliis Primores VVestphalorum (antiqviori nomine Saxonum, Niem. in elog. Ott. M.) adpellati.

XII.

Iam aestumanti, qvale antiqvissimi Saxonum imperii robur atqve ingenium fuerit, in promtu erit notare, primo praecipuam in armis salutem fuisse; deinde proceribus non tam iubendo, qvam svadendo, qvin exemplo potius, qvam imperio, officii constitisse rationes. Postremo regibus, qvos Tacitus allegat, regiam potestatem non permisisse. * Cum Boxhornio diceres, generosa illius gentis ingenia, a mera eaqve absoluta monarchia semper abhorruisse. Qvin forrasse haud abs re putares, principio imperium ibi tantum populare viguisse. Inde cum defensoribus libertatis opus esset, Duces militiae lectos. Hos insuper editis bellicae virtutis speciminibus, multa imperii munia vindicasse sibi: vel qvod poscere decus, vel qvod exigere necessitas videretur. His rebus crevisse porro, et partem iuris, qvo censentur Optimates, obtinuisse. Atqve iam gradus regimini patebat multum a vetere illo et simplice deflectenti. Cum Dd. prudentiae civilis democratiam Aristocratia mixtam appellaturis, certe nolimus refragari. Sed procerum qvoqve horum ingenia variabant et mores. In bellum ituris uni cura belli deleganda erat, sorte semper, an electione, dubium multis. Sortis tamen potissimam fuisse rationem, non ex vano qvidam augurantur. Eo maxime, qvod nil ipsis legamus tam observatum, qvam auspi-

* *Tac. de M. G. cap. VII. Nec Regibus infinita, aut libera potestas.*

ſpicia et ſortes. *Tac. de M. G.* Vtrumlibet probes, nil decedet inſtituto. Nam ſive ſortito, ſeu conſulto deſignatus militiae imperator, viam ſibi muniebat ad maximum inter ſuos decus. Praeſertim ſi rem geſſiſſet bene, ſi confeciſſet fortiter. Aditus hic aut ad dignationem prae ceteris conciliandam fuit. Non repugnaturis, qvi ex plebe aeſtimaſſent ductum, et merita, et ſtatum Imperatoris belli. Valebant eo arma, audacia militaris, legiones imperatori obnoxiae. Nil iam pronius, nil promtius erat, qvam graſſari ad faſtigium regis: regis, inqvam, non omnes regiae poteſtatis numeros complexuri. Obſtabat ingenita genti gravitas, obſtabat gentile Populo decus, libertas. Satis adeo illi, habere imperii partem, nec recipere qvid ultra hanc ſortem. Nil deſtinare ſupra, nil concupiſcere ultra licebat per mores gentis. Erit iam, ut colligas, dividuas Imperii fuiſſe portiones. Dividuae portiones diviſum imperium dabunt. Diviſo imperio mixtura inerit et temperamentum. Regnum alioqvi Ariſtocratia et democratia mixtum ut dicatur, penes eos ſtabit, qvi ſua efformant ad legem artis. Mihi ſufficiat obiter expediviſſe, qvid ſentiam. Tantummodo addam, qvod accepi, notaſſe ſapientiores, arcanum dominationis belli ducibus uſitatum. Qvi non raro a bello ad vim, a vi ad imperium graſſabantur. Arcanum hoc, ſi ita fas eſt loqvi, inter arcana antiqvioris aevi fuit. Vtinam vero eſſe deſiiſſet. Verum id optamus magis, qvam obtinemus. Nam hodieqve eo nitentium reperias exempla. Aliis tamen impenſius cogitatum, qvam felicius impletum fuit. Mirum vero etiam inter cultas audiri gentes. Inter barbaras nil mirum, apud qvas ſancta multa ſunt, ſed qvae raro habeantur ſancte. Turcia noviſſimum tibi exemplum dabit. Res ibi eo redactae ſunt, ut paene timeat Sultanus, a qvo debebat timeri. Supremus militiae Praefectus fortunam egreſſus

pri-

privati est. Subnixus favore militum, parum forte aestimat favorem Sultani. Purpuratorum multos, Praetorianos fere omnes sibi devinctos habet. Inde imminutae relinqvi argumentum maiestatis. Vezirio ab Imperio militari ad imperium civile patere gradus. Nempe peccatum a Sultano est diutius, qvam par erat, imperium belli Vezirio suo continuante.

XIII.

Illud ulterius per affirmandum confidenter est, magnam civium erga hos proceres suos religionem iuxta et gratitudinem fuisse. Rependebant iis honores, qvos iudicaverant promeruisse. Inter exempla erit ARMINIVS, dum posteritas erit. Probant sane viri doctissimi, Irmensulam Saxonicam Hermanno nostrati antiqvitus positam. Assensu id excipiunt suo G. Spalatinus, Reineccius, Albinus, Dresserus, Spangenbergius, Til. Frisius, Iac. Lampadius. Nec multum abit Fr. Lindenbrogius, dubitanti tamen, qvam decidenti propior. Nimirum id acceperant a Romanis, qvi defensoribus patriae hunc constare honorem voluerunt, ut vivos obseqvio, mortuos cippis honorarent. Romani, si altius ascendamus, a Graecis, Graeci a Phoeniciis, hi ab Aegyptiis et Chaldaeis repetunt hunc morem. Cedrenus nil dubitat arcessere ab Hebraeis. Tolerari potest institutum. Qvin probari debet ac laudari. Modo superstitio absit veteris aevi. * Nobis sufficiat advertisse, qvibus auspiciis coeperit consecratio Heroum. Conferat. *Eigrelius c. 4. de stat.*

* *Hanc innuit Alb. Abb. Stad. Carolus, inqvit, Saxoniam bello adiens castrum Eresburg coepit; idolum qvod Erminsul vocabatur, evertit, ad A. 772.*

XIV.

Sed propius inspiciamus, qvalem se gesserit ARMINIVS. Mo-

Mores ab educatione, gloriam traxit a bello. Patrem reddidit, qvia animus ſub diſciplina Patris formatus fuit. Hic eum non ducere in Gynecaeum, ſed in bellum, Scholam principalis virtutis. Male audiunt Aſſyriorum reges, qvod in feminarum conſenuiſſent turba. Feminis adeo ſimiliores, qvam viris. Alia mens Sigimero, alia Sigimeri filio fuit. Hoc vobis, reges, Schola ſapientum dicit in aurem. Nil ſane veſtram virtutem alit, niſi palaeſtra virtutis. Virtus autem magno ſtat impendio Solo labore paratur iuxta et retinetur.

XV.

Poſtqvam his initiis ſteterat ſua ARMINIO virtus, pretium deſiderabat impenſi laboris. Reſpondet deſtinatis fortuna, decus illi, qvod merebatur, paratura. Iam locus illuſtrando nomini a fato electus fuit. * Lupia et Amaſis, VVeſtphaliae amnes, loqverentur virtutem Herois, ſi poſſent loqvi. Hoſtis ex gente Romana eſt, qvi turbatorem patriae appellat, cuius liberator erat. Vitio hoc notandi Segeſtes et Flavius frater. ARMINIO nil imputandum tale eſt. Hic auctor libertatis, hic patriae ſervator fuit. Argumentum id eſt, Tacitum ſtuduiſſe partibus qvandoqve, cum et minus vere, et paulo inclementius ſcripſit de noſtro, non laudaturus alias, ni veritas expreſſiſſet laudem. Is in extremo *A. II.* Liberator, *inqvit,* haud dubie Germaniae. Hoc teſtimonium hoſtis, licet alibi diſſidentis a ſeipſo. Qvod non mirum. Inte-

* *Artifices temporum hic Epocham conſtituunt Varianae cladis, dum rationum ſuarum diſponunt notas. Diſponamus ad hunc modum.* *A. M.* 3959.
P. I. 4723.
E. C., 10.
E. Sol. 19.
Lun. 11.

tegram qvoqve gentem Cheruscorum incessit probris, *de M. G.* Eodem haud dubie odio adductus. Ab hoc posteri accipitis exemplum, sangvinem, et qvicqvid habetis, patriae debituros. Gloriosum pro patria mori. Vitam ergo profundendam sciatis, O mei, si necessitas exigat et patriae salus. Si sacra poscant et leges.

XVI.

Hactenus gratulandum ARMINIO est, ut manu promto, ita animo certe maximo. Sed nulla sincera felicitas, nulla diuturna esse prosperitas solet. Fortis erat ARMINIVS, sed non fortunatus. Omnia audebat, omnia pericula adibat patriae causa. Sed nusqvam tuta fides, ne in patria qvidem. Amicos habuit, sed brevi futuros hostes. A popularibus odia, a Flavia fratre pericula et contemtus, a Segeste, socero, exitium metuendum fuit. Hi popularium qvorundam mores non fregerunt nostrum, sed erexerunt magis. Multum illi interim negotii per haec dissidia facessit hostis. Qvid ageret ? Nullum nisi in constantia praesidium erat. Vnus fide addictior illi patruus, Ingviomerus. Qvi per id tempus nec instabilis animi erat, et per officia colebat belli. Hos alii seqvebantur ut tenaces libertatis, ita infensi servituti. Pauci illi popularium desertores nocere securitati poterant. Raro natura sine monstris, rarius natio sine propudiis qvibusdam reperitur et malis. Saepe hostem in sinu gestamus, dum gaudemus in sinu, perituri, cum nescimus nos perire. Adeo nemo unqvam tutus, ut frater etiam fratribus, populares popularibus insidientur. Agnoscite id tandem, (ignoscite vero mihi recitaturo, qvae nuper recitata succurrunt:) Germani, et demittite in pectus. Invicti estis, donec estis concordes. Soli discordiae succumbitis, si tamen succumbitis. Nempe

terror

terror gentium Germani a nemine possunt debellari, nisi a Germanis. Qvin ergo tandem aversamini, Mei populares, bella civilia, ut pestem. Concordia res vestrae stabunt, discordia subvertentur. At ut nunqvam subvertantur, concordia efficietis, DEO, ut per indulgentiiin vos affectu est, pondus addituro.

XVII.

Summum famae accessit decus a clade Variana. * Haec gloriae paene Romanae finis, Germanae laudis initium fuit. Esto igitur: triumpharint Romani de Germanis. Saepe triumphus sine victoria, saepe plus famae, qvam gloriae et meritorum erat. Vestigia etiamnum conspicua esse aiunt in dynastia Comitum Lippiensium. Mirum sane, fatalem hunc fuisse locum praeliorum. Non leviorum, sed in qvibus summa Germanicarum vertit rerum. Omnium primus ibi ARMINIVS, et ab eius excessu post multa inde secula magnus ille VVittekindus stetit pugnans. ** Ille victor; hic victus discessit. Victus eo victore felicior, qvod clades gradus ad victoriam in coelo obtinendam fuisset. Tam abditi Numinis sunt sensus. Impertitur, qvae vult. Vult autem bona, etiamsi nos non aestimemus semper bona. Fallit nos saepe iudicium. Solus Deus nescius est falli. Hic alia dat aliis.

* *Ad hanc digitum indicem intendit Seneca Ep. XLVII. Malim enim ibi legere Varianam, qvam, ut vulgo legunt, Marianam cladem.*

** *Scriptoribus Germanis audit Theotmelli. Hodie Detmoldi, aulae Lippiensis sedes, locus fatalium praeliorum, a Saxonibus commissorum. Tacitus saltem Teuteburg nominat, ubi campus VVinfeld est, Victoriae Arminii nostratis monumentum. Teutoburg nobis dicitur qvasi burgus Teutonum, ex usu seqvioris aevi, qvo vicus denotatur, non castellum. Nam per id tempus nulla castella habuerunt Maiores.*

Qvaedam certis negat, ut certis largiatur. Nullo in mortales odio. Impius, qvi talem Numini Opt. adſpergit labem. Amoris id opus, non invidiae. Ille alia conducere huic, alia nocere illi ſolus perſpicaciſſime videt. Etiam cum nos non videmus. Subeamus ergo legem, qvam vult Deus, qvi pro lubitu nobiſcum communicat, qvicqvid fortuiti eſt boni. Sola aeterna diſpenſat ex aeqvo.

XVIII.

Iam Varum debellaverat Arminius, maiora auſurus. Male id habet Romanos. Deligitur ergo Germanicus, Vari manes vindicaturus. Hic nova Arminio materia virtutis. Comparat ergo ſe ad pugnam. Suos, ut pugnent cohortatur. Tanto minus retinente Romano, qvanto maior vindictae inceſſerat cupido. Germanicus fortuna, noſter animo maior erat. Iam fortitudinem deſerebat felicitas. Sed nitebatur contra neceſſitatem Arminius. Obteſtatur populares per inſignia ſuae gentis, adſiſterent pugnanti. Ni facerent, ſervos Romanae inſolentiae futuros. Huic ſe adeo eriperent, ſi Germani, id eſt, viri eſſent, ſe ducis officio functurum, modo ſeqverentur ducem. Hic manu adeſt, illic voce erigit. Iam vultu movet, iam conſilio animum addit. Et vincitur tamen Heros, ab animo ſemper invictus

XIX.

Cauſas rimanti, eas dabimus in conſpectum, qvas hiſtoria auguſta obtulit, ut rimaremur. Primum mali caput inteſtina diſſidia erant. Illa defectio, defectionem haud dubie comitata proditio (a) eſt. Ad haec conſilia nimis fervida, eoqve minus matura erant. Impetus ſaepe rationem, feſtinatio prudentiam antevertebat. (b) Sed et ſaepe fortius vincebant, qvam cautius victoria utebantur. (c) Pro conditione illius aevi, priſciqve moris. Satis

tis interim ſua gerebant animoſe, etſi nimis ſaepe feſtinanter. Alia hodie rerum Germanicarum conditio eſt, alii Germanorum mores, alia demum ratio militandi. *(d)* Olim arma minus pugnantibus idonea erant, et plus adeo damni afferebant, qvam utilitatis. Noſtro vero tempore, ut rei tormentariae, ita omnes militiae artes ad ſummum faſtigium proceſſerunt.

XX.

Finis nobis cum fine ſtemmatis Hermanniani erit. Filium ex filia Segeſtis ſuſcepiſſe memorat Tacitus. Sed ut adoleverit puer, non ſatis explicat. Saltem Ravennae educatum fuiſſe approbat lectori. *A. I.* Multum ille infra gloriam patris fuit, intercluſa ad gloriam via. Dedecus Arminii id interpretabatur Maroboduus, * qvod inde ignominiam reciperet pater, unde filius non poſſet liberari. Liberari autem debebat ex ſervitio Romanorum. *A. II.* Hactenus invictus erat Arminius, ſi ab animo aeſtimetur. Fortuna tamen ſaepe deſtituit animum. Tunc qvidem maxime, qvum, qvi bello ſubigi non poſſet, ſcelere cadit alieno. Dignus qvi viveret, ſi merita, *(e)* ſi decus militare, ſi deniqve tot monimenta virtutis penſitentur. Parricidium Adgandeſtrius, Chattorum princeps, patravit. Nimirum is vitam auferre potuit, non laudem.

* *Germanis ſonat Meerbott, ut videtur VVoltero, dum Marcomannicas Origines ſcrutatur. Idem Ingviomerum explicat per dictionem Tevtonicam Iungmaier. Mittimus verborum curam, et qvod prudentiae intereſt annotamus, veteres Langobardorum Marcomannorumqve Reges ex Nobilitate (ipſi Adelingos vocabant) lectos.*

(a) *Indicat ſane Tacitus A. II. habuiſſe Romanos auxi-*

xiliares ex Germanis. Qvi cum iuvare debuissent Germanos, Romanos iuvabant, desertis Germanis. Qvid mirum ex malo fonte peiorem rivum fluxisse? Eo pertinet, qvod affirmavit Historiae augustae scriptor, nil Germanico incognitum fuisse, qvod rem spectasset Germanorum. Consilia, insuper, locos, promta, occulta novisse, astusqve adeo hostium in perniciem vertisse.

(b) Hinc Florus memorat, impetum pro virtute habuisse, Hist. Germ. Lib. III. cap. 3. Sed bellorum successus non semper impetu stant. Saepe maior morae, qvam impetus utilitas est. Qvin vetus monitum est, victoriam consiliis perfici, ratione dirigi. Conf. Tac. H. III. Est saepe instandum coeptis, et cunctandum saepe, si utilitas exigat et ratio circumstantiarum. Sed ita cunctandum est, ne agendi occasio elabatur. Talem accepimus Fabium Valentem, qvi inutili cunctione agendi tempora consultando consumsit. Tac. H. III. Fuit tamen, cum superiori tempore accepimus, qvosdam salubri mora novas comparasse vires, et cunctando adeo nil decessisse praesenti fortunae.

(c) Causam arcessimus ab impetu, impetum discimus ab exemplis. Erit autem inter exempla Thevtobochus, erunt veteres Cimbri Thevtoniqve. Vix tamen id de Arminio nostro dixerimus, cuius talia bellandi consilia fuerunt, qvalia non possunt proficisci, nisi a prudentissimo belli Imperatore. Atqve hoc si recte memini, ipse agnovit Pius Mutius consid. super. Tac. 282. Praeter impetum alioqvi Tacitus audaciam allegat. Qvanto qvis, inqvit, audacia promtus, tanto magis fidus, rebusqve motis potior habetur. A. II. Ultra audaciam memorat violentiam, praesertim Arminii, tunc temporis Germanorum ductoris. Nolim etiam negare: multum felicitati veterum ex eo detra-

ctum

ctum fuisse, existimassent, dolos militares non esse ex dignitate bellantium. Hinc Arminius palam affirmat, adversus armatos bellum se gerere. Perinde forte, ac si strategemata, qvae vocant, magis perfidiae, qvam gloriae instrumenta essent. Gloriosi vero semper esse volebant Germani, nil aeqve aversantes, qvam qvod vel suspicionem vitii haberet et fraudis. Vnum optimis Germanis deerat, qvod animos non imbuissent literis, qvum literae tamen instruant virtutem, non minuant. Vt falsos esse oporteat Scythas similesqve barbaros, qvi literis effeminari animos credunt, non credituri, si literarum sensissent utilitatem. Qvid bella sine consiliis, qvid consilia sine literis? Tametsi haud inficias iverim, iacturam literarum qvosdam resarcire naturali ingeniorum bonitate et iuxta experientia, duobus illis in vita civili oculis, praesertim, si lumen accedat literarum.

(d) *Vt vero multum inter veteres et hodiernos mores intercedat, non dubitamus tamen maioribus nostris destinare nomen exqvisitae virtutis, saltem eius, qvae in bellorum versatur administratione. Habet qvaedam de Arminio Velleius, qvae ostendant, Heroem fuisse Arminium. Qvod testimonium tanto maius censemus, qvanto liberalius impertitum ab hoste est. Vtinam vero alius de Arminio scripsisset, qvam hostis. Sed qvicqvid huius est, defectus ille antiqvissimi est aevi, eoqve incultis illis temporibus condonandus. Saltim observamus hic arcanum illud providentiae divinae, qvod Germanos esse voluit, qvi tunc insolentiae Romanae ponerent obicem. Laudamus vero hic una, qvod militia ipsorum non esset mercenaria, si paucos, qvi ab ingenio gentis desciverant excipias. Contra qvam hodie, ubi mercenarii militis invaluit usus. Vid. D. Conringius de rep. antiq. vet. Germ. p. 32. atqve hunc morem*

pu-

putem hausisse a Romanis, sub qvibus stipendia meritos qvoqve accepimus. Tacitus enim memorat Lib. I. An. II. plerosqve Romanorum castra seqvutos. Atqvi vero Romani militem ex Tribubus legebant, aestimaturi prius, qvam legerent, ut eruditissime annotavit gravissimus Forstnerus. De cetero qvid alii laudent, qvidve contra desiderent in genere armorum, qvibus usi sunt maiores, videas licet apud Scip. Amir. diss. Polit. l. 2. disc. 5. et Conring. d. disp. pos. 26. Recte adeo Tacitus. Nec miror, inqvit, Germanis animus, sed genere pugnae et armorum superabantur. Et alibi: Nec immensa, inqvit, Barbarorum scuta, enormes hastas, perinde haberi, qvam pila et gladios Romanorum, vid. A. II. passim. Vt hic lubentes taceamus, aviditate praedae illis iustum victoriae fructum saepe ereptum. Qvo nomine tamen nolimus Arminium notatum. Velimus tamen Ingviomerum. Recentiora exempla omnibus nota sunt. Vt pigeat afferre. Nempe animi cupientium praedam gloriam raro, victoriam rarissime conseqvuntur, digni, qvi eius amittant fructum, cuius amiserunt occasionem.

(e) Referendum hic qvoqve esset de Arminii prudentia, sed referam hic saltem de eius calliditate, qvam testatus est, dum arma adversus Maroboduum caperet. Tuendae libertatis titulum sumebat bellaturus, ut favorem haberet. Sed aliud saepe fecisse, aliud praetendisse est visus. d. II. de facundia militari mireris si legas, qvae Tacitus ab eo ut graviter, ita fortiter dicta allegat. A. I. 2. Obiter hic indicamus, argumentum ab Andtlero nuper sumtum, nec belli artibus vacuum, et bello insuper remedia forte allaturum, non plane adeo hinc alienum.

):o:(